



Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 13. Quænam dispositiones requiruntur in adultis ad recipiendam
gratiam Baptismi?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

næ, & scandali, abstrahendus est à parentibus, ut erudiatur in fide Christiana: quia per Baptismum Ecclesia acquisivit jurisdictionem in eum, ac jus ad eum Christianè instituendum, & ipse contraxit obligationem addiscendæ & servandæ legis Christianæ, quod præstare nequit apud parentes.

Dixi, secluso, &c. quia bonum Religionis & multorum præferri debet bono privato.

Q. 12. Quinam sunt effectus Baptismi i-

Resp. Hi 1. Tollit omnem culpam & poenam, si non adsit obex. 2. Confert ex opera operato gratiam sanctificantem, & virtutes infusas. 3. Eius intuitu conferuntur suo tempore gratiæ actuales fini suo accommodatae, nimurum ad sanctè & Christianè vivendum, ut decet Filios Dei heredes & coheredes Christi. 4. Imprimit caracherem indelebilem. 5. Constituit membrum Ecclesiæ, ejusque potestati subjicit. 6. Tribuit capacitem recipiendi alia Sacramenta, & jus ad illa, cæteraque Ecclesiæ bona communia. 7. Inducit obligationem servandi mandata Dei & Ecclesiæ, atque vitam Christianam seu consentaneam doctrinæ & exemplo Christi traducendi.

*Q. 13. Quænam dispositiones requiruntur in
Adultis ad recipiendam gratiam Ba-
ptismi?*

Resp. I. Si Adultus præter peccatum Origina-

læ

nale habeat alia actualia mortalia, ad ejus justificationem per Baptismum, ex Trid. sess. 6. c. 6. requiruntur hi actus. 1. Fides, quā explicitè credat existentiam unius Dei remuneratoris, Mysteria Trinitatis, & Incarnationis, & generatim vera esse quæ divinitus revelata & promissa sunt, & imprimis à Deo justificari impium per merita Christi: nam horum fides explicita est necessaria necessitate medii. 2. Spes justificationis & vitæ æternæ. 3. Dilectio, quā Deum tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiat. 4. Propositum efficax servandi omnia mandata & christianè vivendi; nam adultus non potest admitti ad Dei amicitiam, nisi in eam consentiat, nec potest in illam sincere consentire, nisi velit omnia facere, quæ ad istam amicitiam servandam, & mutuum amorem significandum necessaria sunt. 6. Voluntas recipiendi Baptismum. 7. Pœnitentia seu dolor de peccatis commissis, cum proposito non peccandi de cœtero, ex Act. 2. *Agite pœnitentiam, & baptizetur unusquisque vestrum.* Everò æquum est, ut qui voluntate propriâ Deum offendit, in ejus amicitiam non recipiatur sine peccatorum retractatione, & dolore. Hæc autem pœnitentia debet esse supernaturalis, absoluta, universalis, efficax, incompossibilis cum ullo affectu ad mortale & appretiativè summa. Non tamen requiriatur perfecta contritio; nam cum Baptismus sit institutus ad remittendum peccatum Originale

tibus,
er Ba-
emin
dum,
dæ &
rene-
nis &

i
z pœ-
opera
rtutes
o tem-
e, ni-
n, ut
Christi.
Con-
testati
biendi
e Ec-
oliga-
e, at-
n do-

ur in

Orig-
nale

nale & alia actualia ante ipsum commissa, non prærequisit dispositionem, quæ hunc effectum pariat: alioqui semper præsupponeret ac præxigeret effectum, ad quem conferendum institutus est.

Resp. II. Ad justificationem Adulti habentis solum Originale peccatum (si hoc esse posset) iidem actus requiruntur ; exceptâ contritione, quæ solum potest esse de peccatis personalibus voluntate scilicet physicè propriâ commissis.

Resp. III. Si adultus jam justificatus sit per Contritionem seu Charitatem perfectam, ut recipiat augmentum gratiæ in Baptismo, requiritur voluntas Baptismum recipiendi ex motivo aliquo supernaturali: nam ad gratiam recipiendam, requiritur consensus illi accommodatus. Sed hæc voluntas sufficit, cum jam præcesserint fides, spes, contritio & charitas.

Not. Qui sine debitis dispositionibus, sed cum voluntate Baptismi suscipiendo baptizatur, non recipit gratiam: sed tamen Baptismus est validus, & postea reviviscit seu efficit gratiam , sublato per contritionem perfectam, vel per Pœnitentiæ Sacramentum obice.

TRA-